



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die si placet penultima Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Die si placet penultima Decembris.

1^o. De beato Petro abbate Anglo.

Ex historia Anglorum, Beda.

Petrus presbyter primus abbas monasterij quod apud Cantuariam in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ab Augustino Anglorum Apostolo constructum est, & à Laurentio eius successore consecratum, legatus in Galliam missus, demersus est in sinu maris, qui vocatur *Ampheat*, & ab incolis loco ignobili sepulturæ traditus. Sed omni nocte super sepulcrum eius lux cælestis apparuit, donec animaduertentes sanctum fuisse virum, & inuestigantes vnde & quis esset, abstulerunt corpus: & in Bononia civitate, iuxta honorem tanto viro congruum, in ecclesia posuerunt.

2^o. De beato Richardo.

Ex literis Adami Wachtelare, archidiaconi Groningensis.

Richardus Cistertiensis in abbazia de *Adwerdt*, milliati vno à Groeninga, miræ sanctitatis fertur fuisse monachus, miraculis & peregrinationibus clarus, non tamen Canonizatus. A quo diuersus est Richardus Anglicus ordinis Præmonstratensis monachus in *Arinsberch*, qui in eo cœnobio plurimos libros manu propria conscripserat, mercedem sui laboris præstolans in cælis. Quæ manus post viginti annos, reliqua carne in puluerem redacta, integra est reperta, & in tanti miraculi testimonium reseruat.

Casarius in speculo exemplorum dist. 6. cap. 100.

Die,